



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Approbandorum Bipartitum

Unczovsky, Marianus

Coloniæ Agrippinæ, 1693

Quæstio XXXIII. Continuatur eadem materia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37308

dam esse admonitionem, admonitione crimen illud committatur sub pena Excommunicationis ipso facto incurrendæ. III^o. Quando fertur Excommunicatio Generalis pro futuris culpis à jure seu Canone. IV^o. Quando delictum est commissum in præsentia iudicis pro Tribunali Sedentis, tunc namq; sine ulla admonitione censetur contumax. V^o. Quando is qui excommunicat aut censurat est Executor non Judex, nam tunc non requiritur hujus Executoris admonitio, sed sufficit admonitio ab illo facta qui mandatum ei dedit ferendi Sententiam.

QUÆSTIO XXXIII.

Continuatur eadem materia.

Vicar. **D**Esidero ut declares in quibus casibus contingat Excommunicationem esse nullam.
S. Nulla est (conformiter ad supra dicta) si feratur in Infantem, furiosum, mente captum, non Baptizatum, ex-

emptur
siferatu
nulla e
te in
si ferat
privato
dice in
fertur
dice n
Deleg
gantis
tur po
U. Qu
S. Qu
est Ju
U. Se
Appe
S. Qu
est, u
& qu
quan
to n
Exco
lare

emp

emptum per Privilegia. *Item* Nulla est si feratur à non Judice, à furioso; *item* nulla est si feratur ex vi & metu cadente in constantem Virum: Nulla *item* est si feratur à Judice usu Jurisdictionis privato; Nulla etiam est si feratur à Judice intruso; *item* nulla est ubi is in quem fertur, Excommunicantem pro suo Judice non agnoscit; etiam Nulla est à Delegato contra intentionem delegantis lata, *item* Nulla est quando fertur post legitimam Appellationem.

U. Quare?

S. Quia per Appellationem suspensa est Judicis jurisdictio.

U. Sed quando censetur esse legitima Appellatio?

S. Quando Causa Appellationis talis est, ut reputetur sufficienter probata; & quando non fit in Causa fidei, vel quando talis appellatio lege aut statuto non prohibetur; propter primum Excommunicatus ob Hæresim appellare non potest; propter secundum ap-

appellare non potest Religiosus, nè secundum regulam corrigatur c. 2. de nostra de Appellat: ubi autem Appellatio frivola est non annullat Sententiam.

U. Non occurrit ultrò aliquis casus in quo Excommunicatio habetur pro nulla S. Etiam Excommunicatio tunc nulla est, quando in Senten. Excomm. expressus est error intolerabilis, ut si diceretur: Excommunico Te nisi protuleris Hæretico celebraveris &c item nulla est quando in Sententia exprimitur Causa notoriè injusta.

U. Declara nunc quot modis censetur Sententia Excommunicationis injusta?

S. Juxtà Canonist: tribus modis: 1º. (ut supra dixi) quando ex malo animo procedit, id est non ex Zelo justitiæ, sed ex odio, quàmvis Causa sit justa, tunc proinde peccat Excommunicans, licèt Censura lata teneat. II. Fit injusta ex defectu Ordinis juridici non servati,

ti, ut quando fertur ex bono quidem animo & Causa justa, sed non adhibita trina Canonica vel una saltem competente admonitione coram Personis idoneis, esto (juxta praemissa) secus facta, valida sit, dummodo tamen servetur Ordo Substantialis Juris.

U. Estne tamen assignabilis aliquis casus, in quo Excommunicatio valorem non habet, non praemissa Canonica admonitione?

S. Exprimitur unus casus cap: *Statuimus de Sent. Excomm. in 6.* Quando videlicet quis Excommunicat participantes cum Excommunicato a se, talis namque Excommunicatio sine praevia Canonica admonitione ipso jure est irrita.

U. Declara tertium modum quo Sent: Excomm: fit injusta?

S. Injusta fit III^o modo ex defectu Causae, quando Causa licet sit praesumpta, non tamen est prolata juridice; an autem tunc Censura lata, etiam habenda

da sit pro nulla, consulantur Theologi; qui ligamen Censuræ non admittunt ideò quòd Causa subfit in re p[ri]vatis: aut quòd in foro Conscientiæ privato talis Causa intercesserit, non sit juridicè probata, Judex non procedat secundùm allegata & probata.

U. Demus casum quod Causa probatur in Judicio, in re tamen vera non adsit, eritnè tunc Censura valida?
S. Respondet *Filliuc.* cum alijs quòd licet tunc in foro Conscientiæ Excommunicationis non incurratur, cum sit peccato mortali Excommunicatio subsistere non possit, nihilominus advertendum Scandalum, & nè Excommunicatus videatur Ecclesiam contemnere Sententia illa in publico ferri debet; alias Censuratus Excommunicationis Sententiam in foro externo violasse præsumetur, & irregulariter judicabitur, aliasq; p[œ]nas incurret, quæ in non observantes rigorem Sententiæ Ecclesiasticæ ferri solent.

U. Scies utiq; quænam sint Causæ excusantes ab Excommunicatione aliàs Censuræ capacem?

S. Scio communiter triplicem assignari: nempe *Ignorantiam* item *Impotentiam* naturalem aliquid faciendi, quod aliàs sub Excommunicatione præcipitur: Deniq; necessitatem aliquid operandi per quod Sententia Excommunicationis violatur, sive proveniat ex metu mortis, sive infamiæ &c.

U. Ergo ignorantia quæ à mortali excusat, etiam ab excommunicatione excusabit, & è contra?

S. Ità est; hinc deduco, quòd sicut ignorantia crassa vel affectata non excusat à mortali, ità neque excuset à Censura, ac proinde percutiens Petrum Clericum, quem ex crassa vel affectata ignorantia nescit esse Clericum, excommunicationem incurrit.

U. Semperne?

S. Adnotatur unus casus in quo ignorantia crassa excusare possit à peccato,
vi-

videlicet quando Sententia à Jure
ab homine proveniens, & puniens al
quid sub Censura habet adjunctas tales
particulas: *consulto vel ausu temerario*
violaverit &c. An autem tunc etiam
ignorantia affectata excuset? (*quid*
quid dicant alij) sentio ipsam utpotè
directè volitam non excusare.

U. Adduco Ignorantiam invincibilem

S. Hæc semper excusat à Censura: quare
si quispiam sciat v. g. esse Clericum
sciatq; prohibitam esse Clerici percussio-
nem, si tamen ignoret invincibiliter
latam esse Censuram contra percus-
sionem, licet percutiens peccet peccato
Sacriligij, non tamen incurrit
Censuram.

U. Proponè in Exemplo quòd impo-
tentia sive Physica sive moralis excu-
set ab incurfu Censuræ.

S. Sit pro exemplo: si Excommunicatio
feratur in aliquem, nisi debitum
intra Mensem solverit, qui tamen toto
illo tempore non habet unde solvat;

vel si habet, nihilominus solvere non potest absq; gravi suo incommodo, uti contingeret si quispiam cogeretur sub Excommunicatione aliquid restituere, non posset autem sine longè majori damno, aut detrimento Bonorum Superioris Ordinis: adeoq; sicut non peccaret mortaliter non restituendo, ita neq; Censuram incurreret.

U. Demus casum quòd ante finem præfixi temporis sit solvendo, licet ab initio non fuerit.

S. Incurrit Censuram, nisi solvat; similiter, si ab initio fuit solvendo, licet postea antè finem temporis præfixi reddatur impotens ita *Fillinc.* cum alijs.

U. Quomodo intelligis necessitatem ab incurso Censuræ excusare?

S. Intelligo, quòd necessitas faciendi aliquid ob gravem metum v. g: mortis vel infamiæ, quotiescunq; excusat à culpa & observatione Legis Ecclesiasticæ, toties etiam excuset à Censura?

U. Sed quando excusat ab observatione Legis humanæ? S. Quan-

S: Quando coactio seu necessitatio
la, non fit in contemptum fidei
Ecclesiasticæ potestatis.

V. Ergo si quispiam Tyrannus incu-
ret metum mortis Sacerdoti, ut cele-
bret coram Excommunicatis, idque
ad ostendendum, vanam vel nullam
esse potestatem Ecclesiæ in Censuris
ferendis, tenebitur tunc Sacerdos non
solum sub mortali sed etiam sub peccato
Excommunicationis non celebrare?

S: Tenebitur, alioquin reputabitur
contemptor Ecclesiasticæ potestatis.

V. Audire desidero quot & quibus mo-
dis auferatur Censura Excommunica-
tionis?

S: Non multiplicabo modos auferen-
di, quia aduerto quod auferatur per
solum Absolutionem.

V. Non per mortem illius qui Censura
ligatus erat, quando cum signis Peccati
tentia decessit?

S: Non; alioquin absolutione non
geret post mortem quoad effectum

fruenti suffragijs Ecclesiæ, & sepul-
turâ Ecclesiasticâ.

V. Nunquid mortuus, est extrâ Jurisdi-
ctionem Ecclesiæ propriè loquendo?

S. Propterea etiam non absolvitur à
Censurâ directè, sed indirectè, con-
cedendo ei quoad animam, ut possit
participare de suffragijs Ecclesiasticis,
& quoad corpus, ut possit Ecclesiasti-
câ Sepulturâ gaudere.

V. Saltèm affirmabis quòd tollatur per
emendationem aut Pœnitentiam Rei
non ampliùs contumacis, & condig-
nant ejus Satisfactionem?

S. Etiam post emendationem & satis-
factionem Reus dicitur absolvendus,
non ergo tollitur præcisè excommuni-
catio per sublationem Contumaciæ,
aut per emendationem seu satisfactio-
nè illi⁹ qui excommunicationi subjacet.

V. Contumaciam esse causam Existen-
tiæ ipsiusmet Censuræ quis negabit?
igitur ablatâ per emendationem Con-
tumaciâ, tolletur Censura.

A. a.

S. Nun-

S: Nunquid culpa est causa poenae, & tamen hæc durat sublatâ culpâ? præcedit itaq; Contumacia Censuram, & tamen ipsa extinctâ adhuc Censura durare potest, & durat, donec tribuitur absolutio, hinc ratio principalis durationis Censuræ est negatio abolitionis, quæ pendet quidem à Contumacia tanquam à causa in fieri, non tamen necessariò in conservari.

V. Existimò tamen Censuratum absolvi quando absq; ulteriori expressâ abolitione tacitè absolvi.

S: Verum est si censura non sit lata absolute; sed sub conditione de futuro v. g. *absolvo Te si intra annum saltem feceris*, tunc namq; expletâ conditione Reus censetur absolutus, neq; hæc absolutio aliquam involvit implicationem, quia sicut censura potest ferri sub conditione de futuro, ita & eadem absolutio.

V. Videtur mihi quòd saltèm per rationem ferentis tollatur Censura?

S. No

S. Nec per hanc: quia Censura quoad durationem non pendet à vita vel Jurisdictione ferentis illam, sed tantum quoad fieri; præterquam quòd id clare colligatur ex c. si Episcopus 40.

Q. Possuntne absolvere à Censura juris non reservata, etiam Parochi?

S. Non tantum hi, sed etiam omnes illi qui possunt absolvere à mortalibus (nisi in Censuris fiat aliqua specialis exceptio.)

Q. Quos putas absolvere posse ab Excommunicatione reservata à Jure vel ab homine?

S. Existimo hanc absolutionem spectare ad Authorem illius, vel Successorem aut Superiorem Excommunicantis aut ab eo delegatum, conformiter ad dicta de Absolut: à reservatis.

Q. Etiamne absens localiter valide à Censura absolvi potest?

S. Sicut absens Censurâ ligari potest, ita & ab ea absolvi.

Q. Igitur Confessarius comperiens se

Aa 2

ma

malè absoluisse Pœnitentem à Censuris, poterit post obtentam facultatem absolvendi, absolvere ab illis absente. S. Poterit; siquidem absolutio à Censuris non solum ferri potest in absentem, sed etiam ignorantem & existentem in mortali peccato; præterea nisi ipsum absolveret esset in causa ut Pœnitens privaretur Ecclesiæ suffragiis. Vi: Bonac. de Pœnit. Disp. 5. q. 7. punct. 6. n. 1. Suar. Navar. Filliuc. & alios.

V. Recensè modos quibus absolutio Censuris fieri possit.

S. Potest fieri vel purè & simpliciter *absolvo Te à vinculo Excommunicationis quam incurristi ob talem causam: vel conditionatè, etiam sub conditione futuro; item ad cautelam, quæ absolutio est extraordinaria ex benignitate Ecclesiæ in favorem Excommunicatorum introducta quando dubitatur de valore Censuræ, sive subest suspicio vel dubium an aliquis Censuram incurrerit, & tunc absolvi solet sub condi-*

ditione v.g. *absolvo Te à Censura Excommunicationis si indiges, vel si eam incurristi ab tale crimen &c.*

U. Nonnè interdum præmitti solet absolutio à Censuris, etiamsi nulla adsit suspicio Censuræ contractæ?

S. Solet sub his terminis: *Absolvo te à vinculo Excommunicationis suspensionis & interdicti, in quantum possum & tu indiges, & hoc ad vitandam irreverentiam, si fortè Pœnitens in occulta esset Censura, vel ad vitandam irregularitatem, in eadem suppositione, si Pœnitens ordinandus esset, vel ad vitandam invaliditatem, si Pœnitenti conferendum esset Beneficium Ecclesiasticum &c.*

U. Quando datur absolutio ad *reincindentiam*?

S. Tunc (& quidem propriè dicta) quando datur cum certa conditione, quam nisi absolutus intrâ præfixum tempus, vel quamprimùm commodè potest adimpleat; v.g. Ordinario se si-

Aa 3

stat,

stat, vel parti læsæ satisfaciat, in eandem vel potius similem Censuram de nouo incidat.

V. Effetnè absolutio ad *reincidentiam* si daretur in ordine ad certum effectum v. g. ut Excommunicatus telus possit &c.

S. Hæc absolutio si dicatur esse talis dicitur solùm *impropiè* quia est potius quædam dispensatio ut actus substat, non obstante impedimento Censuræ, à qua tamen dispensatus simpliciter non liberatur ideoq; nec proprie reincident; talis proinde absolutio frequenter tribuitur tantùm ad cautelam dicit: *si fortè Censurâ ligatus es ad effectum talem consequendam duntaxat te absolvimus.*

V. Sumus in materia absolutionis à vinculo Excommunicationis, quæritur an Clericus à Censuris absolvere valeat?

S. Dubium non est, si alioquin adferendas Censuras jurisdictionem habeo

at, cum illius sit solvere cuius est ligare.

V. Intelligo Clericum simplicem.

S. Etiam talis in defectu Sacerdotis saltè in articulo mortis poterit absolvere à Censuris; nam Ecclesia pia Mater ratione charitatis quâ amplectitur suos subditos & præcipuè Pœnitentes ipsisq; procurat quæ proficua sunt, vult quoq; ut eisdem tribuantur con-ducantia ad bonum ipsorum Spirituale, adeoque ut in Articulo mortis absolvantur etiam à Simplici Clerico jurisdictionem non habente, siquidem hoc maximè conducit ad bonum Spirituale fidelium.

V. Adverte quòd *Sac. Conc. Trid.* loquens de ijs qui in Articulo mortis possunt absolvere nominet tantum Sacerdotes.

S. Loquitur *Sac. Concil.* de absolutione Sacramentali in ordine ad peccata reservata, & ideò nominat tantum Sacerdotes, qui sunt capaces ejusmodi

facultatis, unde sicut Ecclesia concedit hanc facultatem Sacerdoti simplici quia est illius capax, ita quoque facultatem absolvendi à Censuris in articulo mortis Clerico simplici, quia talis facultatis est capax.

V. Quomodo capax? siquidem facultas absolvendi à Censuris pro articulo mortis est concessa ab Ecclesia in hunc finem, ut Pœnitens absolvi possit à peccatis?

S. Nonnè accidere potest, quod Pœnitens absolvi posset à Censuris, etiam non posset absolvi Sacramentaliter à peccatis, ergo absolutio à Censuris utpote non necessariò conjuncta cum absolute Sacramentali, non est tantùm in finem specificatum.

V. Si præfatæ absolutiones sunt separabiles assigna tempus, in quo possit impendi absolutio à Censuris extra Sacramentum Pœnitentiæ.

S. In illo tempore, quo Pœnitens amisisset Usum rationis, & dubitaretur an non

non esset innodatus Censurâ aliqua?
sicut enim tunc illi Sacramenti Pœni-
tentia incapaci posset ministrari Sa-
cramentum Extremæ Uñtionis, ita
pariter impendi absolutio à Censuris,
quæ utpotè concessa in favorem ani-
mæ, debet ampliari ita, ut possit in ijs
omnibus in quibus prodesse potest;
Præterea loquendo de moribundo non
solum habenda est consideratio præfa-
ti Sacramenti, verum etiam necessita-
tis, nam homo absque absolutione à
Censuris, non est capax Ecclesiasticæ
Sepulturæ, & quàmvis secundum ali-
quos si decedat in gratia sit capax suf-
fragiorum Ecclesiæ, secundum alios
tamen dicitur non esse capax, adeoq;
ut certò ipsi consulatur, sic interpre-
tanda est mens Ecclesiæ, quòd videli-
cèt facultas absolvendi à Censuris in
articulo mortis sit concessa cuicunq;
capaci, & consequenter etiam Cleri-
co Simplici.

U. Demus casum quòd aliquis vinculo

A a §

Ex-

Excommunicationis ligatus, & in articulo mortis constitutus abjiciat contumaciam petatq; absolvi, poterit ipsi tribui absolutio à Censura, si non esset dispositus pro recipienda Absolutione Sacramentali ob pravam voluntatem, ut quia v. g. inimico ignoscere non vult &c.

S. Facile deduci potest ex supra dictis quod absolvi poterit, tunc enim solùm absolvi non posset, quando facultas esset limitata ad absolvendum à Censuris tantum in Sacramento Pœnitentiæ; Cæterum si non adfit hujusmodi limitatio, & sit pœnitentiæ extrinseca id est humiliatio ac recessus à Contumacia, defectus Pœnitentiæ intrinseca non impedit absolutionem à Censura, idcirco Petens in adducto casu ab Excommunicatione absolvi esset absolvendus.

V. Dic mihi quanam sint solennitates in absolutione à Censuris observandæ.
S. Debet Pœnitens regulariter loquendo

do petere absolutionem non quidem de necessitate, sed ex decencia & congruitate: *ut coll. ex c. Per tuas 40. de Sent. Excomm. nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri, nè Sententiam Ecclesiasticam contempnere videatur.* U. Nonnè etiam præstare debet juramentum de non committendo amplius tale delictum, ob quod fuit Censurâ ligatus?

S. Debet;

U. Scies utiq; quòd quando conceditur facultas absolvendi ab Excommunicatione aut Censuris reservatis, absolutio impendenda sit *juxta formam Ecclesiæ?*

S. Scio & benè adverto quidnam insinuet *ly juxta formam* (prout exprimitur in *cap. De cetero 11. cap. Quamvis de Sent. Excomm.*) videlicèt quòd à Pœnitente exigì debeat juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ; neq; obliviscor alterius obligationis pariter sub juramento (quando eam impone-

re est necesse) nempe præsentandi se illi ad quem de jure spectat absolutio; horum autem juramentorum unum ab alio esse diversum colligitur ex *cit. cap. De cætero* ut rectè observat. *Tabien. de Cens. cap. 19. §. 5. n. 2.*

U. Etiamnè dictum juramentum exigendum est in absoluteione à Censura v. g. Excommunicatione ad cautelam? *S.* Etiam, dummodo Excommunicatione sit justa, prout habetur in *cap. Cùm contingat §. Verùm. de offic. deleg. ubi* statuitur eum, qui allegat injustitiam Excommunicationis, si Excommunicator instet, quòd justè Excommunicaverit, debere priùs absolvi antequam audiatur juxta *formam* Ecclesiæ; sic autem est quòd hæc absolutio sit ad cautelam, quia excommunicatio est dubia, & tamen impendenda est juxta *formam* Ecclesiæ, adeoq; debet exigètur juramentum.

U. Sed qualiter aut sub qua forma?

S. In absoluteione privata sufficit si se-

vetur forma substantialis juramenti, in absoluteione verò publica exigendum est juramentum solemne, prout videri potest in *cit. cap. Quamvis de Sent. Excomm.*

U. Suppono quòd dictum juramentum de parendo &c. sit exigendum solum tunc, quando Censura est contracta ob graviora Crimina.

S. Sic Sentio: v. g. in absoluteione ab excommunicatione ob Clerici percussionem, vel à Casibus Bulla Cœnæ, uti exhibet §. *Ceterum* ubi habentur sequentia: *à predictis Sententijs nullus per alium, quam per Romanum Pontificem nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando mandatis Ecclesie & satisfaciendo cautione præsita absolvi possit &c.*

U. Si dictum juramentum non exigatur, valebitne tamen absoluteio?

S. Videtur certum, quòd si absolvens non exigat juramentum de præsentando se, seu comparando coram Superiore,

riore, absolutio nihilominus valeat, quamvis graviter peccaret absolvens utpotè violans præceptum Ecclesiæ in re gravi; similiter existimo quòd absolutio à Censuris extrà Bullam Censuræ reservatis sit valida, etiamsi non exigatur juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, quia tale juramentum ex consuetudine Ecclesiæ introductum est, ut habetur in *cap. Cùm desideres de Sent. Excomm.* non tanquam pertinens ad substantiam absolutionis, sed ad refrenandam malitiam, & ad manutendam severitatem Ecclesiasticæ disciplinae, adeoq; qui renueret tale juramentum præstare, posset absolvi, & opinio asserens absolutionem esse nullam, nisi tale juramentum exhibeatur, meritò reprobatur.

U. Cur interposuisti ly à Censuris extrà Bullam Censuræ reservatis?

S. Ideo, quia plurimi DD. asserunt absolutionem à Casib⁹ Bullæ Censuræ (non præstito juramentò) fore nullam; quam-

quãvis adhæream Sententiã docentium, absolutionem fore validam, etiam si non exigatur præfatum juramentum.

U. Nunquid per Cautionem juratoriã datur intelligi ipsum juramentum?

S. Sic est: neq; Sedes Apostolica aliud exigit, quã promissionem juramento firmatam; quid autem ultrã in absolutione ab Excommunicatione ob crimen Hæresis exigendum sit? videantur litteræ Apostolicæ Innocentij IV. quæ incip: *Cum per vestras* & Alexandri IV. quæ incip: *Super extirpatione.*

U. Proferas verba significantia remotionem Excommunicationis.

S. Hæc unicuiq; facilè occurrent, quæ essent sequentia: in Ecclesiæ communionem te recipio, vel restituo te Sacramentis Ecclesiæ & communioni fidelium &c. communis tamen Absolutionis forma hæc est: *Ego Te absolvo à vinculo Excommunicationis, quam ob hanc vel illam Causam incurristi* (specifican-

ficando causam) & restituo te Sacramentis Ecclesie & communioni Fidelium in nomine Patris & Filij &c. Quàmvis in rigore sufficeret dicere: absolvo Te ab omni vinculo Excommunicationis ut docent communiter Canonis: imò secundùm eosdem & conformiter ad alibi dicta (quidquid dicat Sylvester) sufficeret ad valorem dicere absolvo Te cum intentione absolvendi à Censura, quæ admodum illa verba sola sufficiunt ad impendendam validè absolutionem à peccatis.

V. Quæ dixisti sufficiunt ad formam essentialem absolutionis, quid autem sentis circà formam accidentalem?

S. Hæc facilè patebit aspicienti Rituum aut libellos eorum qui diversas formulas Absolutionum collegerunt & in lucem dederunt.

V. Quæro dic mihi an is qui signa Penitentia exhibuit possit post mortem à Censuris absolvi?

S. Potest: ut habetur in cap. A nobis 2. de Sent. Excomm. V. Sed

V. Sed quod testes requiruntur ad testificandum de signis Pœnitentiæ?

S. Sufficit unicus: versamur enim in ijs, quæ non sunt alicui præjudicialia, pro quibus sufficit unicus testis.

U. Possitnè autem in tali casu à quocunq; impendi absolutio?

S. Si non possit haberi recursus ad eum ad quem de jure pertinet absolutio, poterit à quocunq; absolvi.

V. Declara quid contineatur in forma Ecclesiæ consueta, quoad defunctum absolvendum.

S. Habetur expressum in dicto cap. *A nobis & cap. finali de Sepulturis.* item *Ritu. Rom. Tit. de Pœnit. Sacram.* cum hoc complemento, & affectu S. Matris Ecclesiæ: Da quæsumus Domine animæ Famuli Tui N. quem Excommunicationis Sententia constrinxerat refrigerij sedem, quietis beatitudinem & superni luminis claritatem, Per Christum Dominum nostrum.

QUÆ-